

Königliches
Gymnasium zu Schneidemühl.

Ostern 1889.

XX.

Jahresbericht.



Inhalt: 1. Quaestiones Demosthenicae. | Vom Direktor Thalheim.
2. Schulnachrichten.

1889. Progr. No. 154.

Schneidemühl.

1889.

Druck von Gustav Eichstädt.

95C
12 (1889)

1091.22



Königliches

Gymnasium zu Schneidemühl

Ostern 1889

XX

Jahresbericht.



Inhalt: I. Jahresbericht des Direktors
II. Jahresbericht des Lehrkörpers
III. Jahresbericht der Schüler

Schneidemühl.

1889.

1889 Progr. No 154.

Videmus his temporibus operam vel maximam in orationibus eis collocari, quae de causis privatis sunt inter Demosthenicas. In quibus id plerumque quaeritur, num ab ipso oratore praestantissimo profectae sint, et si quae Demosthene indignae visae sunt, investigatur, quae inter se tantam praebeant similitudinem, ut ab eodem scriptore confectae putandae sint. Res vero ipsae et causae si non negleguntur, at leviter attinguntur, quamquam non solum per se digniores videntur, quae perquirantur, sed ne artem quidem oratoris iudicare recte poterit is, qui causam non accurate perspexerit.¹⁾ Cui rei etsi A. Schaefer, quo nemo melius vir doctus de oratore summo meritus est, laborem fructuosissimum impendit, tamen his triginta annis reipublicae Atheniensium notitia aliquantum profecta videtur, ut eam operis egregii partem, cum cetera novis curis emendata et perpolita sint, iure doleas neglectam iacere. Equidem et alibi²⁾ si quid fructus ad eam rem conferre possem conatus sum et nunc, ne libellus gymnasii nostri anniversarius sine aliquo litterarum specimine in publicum prodiret, animum induxi proponere, quae de quibusdam orationibus invenisse mihi videbar.

I.

In oratione pro Callistrato in Olympiodorum scripta (XLVIII) haec fere narrantur: Postquam Conon Halaeensis sine liberis decessit, Callistratus quidam una cum Olympiodoro uxoris fratre primum propinqui sui funeri omnia iusta solvunt, deinde priusquam heredes alii intercederent, in bona eius invadunt atque inter se partiuntur pactione facta, qua vel in posterum communi se usuros consilio pollicentur. Et quamquam paullo post rixae de pecuniis quibusdam oriuntur, tamen cum et alii et Callippus, Callistrati frater germanus, eandem hereditatem petivissent, consilio defensionis communicato diem a Pythodoto archonte (343 a. Chr.) dictam differre conantur ea ratione nisi, quod Olympiodorus expeditionis in Acarnaniam factae particeps cum exercitu domo abesset. Sed iudices petentibus desunt, adversarii archontis auctoritate firmati hereditatem adeunt, bonorum pars altera a Callistrato traditur, in alteram, quae Olympiodoro obvenerat, suo iure invadunt. Olympiodorus vero e

1) Hoc vitio laborant quaestiones ceteroquin diligentissimae Uhlei de orationum Demostheni falso addictarum scriptoribus. Hagen. 1883 Lips. 1886.

2) *Hermæ Berolinensis* vol. XXIII, p. 202 squ. p. 333 squ. commentationes in honorem M. Hertz. p. 58. squ.

bello reversus, cum iniuriam illatam ferre nollet, rursus cum Callistrato societate inita eos qui bona possederant in ius vocat, iudicio vincit, tota Cononis hereditate potitur. Tum Callistratus ex pactione initio facta dimidiam bonorum partem ab Olympiodoro postulat, quod ius oratione ea, quae nunc legitur inter Demosthenicas, persequitur.

Iam cum et causam pessimam et Callistratum hominem nequam esse inter omnes constet, quem fateri non pudeat se Olympiodori in iudicio mendacia consulto adiuisse (§ 44), is qui discernere volet, quid orator vere dicat, quid mentiatur, eam commode rationem ingrediatur, ut quaerat, quae res testibus adhibitis ab oratore stabiliantur. Nam etiamsi Athenis non raro testes falsi inducebantur, tamen orator in iis, quae testimonio firmata sunt, minus a vero recessisse putandus erit. Sunt autem haec: Primum Androclides, in cuius fide pactio deposita erat, Olympiodorum cum Callistrato pactum esse testatur (§ 11). Deinde testis editur, qui Olympiodorum Cononis bona cum Callistrato partitum esse dicat (§ 33). Tum inducitur, qui adversarios auctoritate publica fretos bonis Cononis potitos esse confirmet (§ 34). Denique Androclides idem ab Olympiodoro usque ad diem illum pactionem neque sublatam neque detrectatam esse profitetur (§ 47). Testimonia reliqua mitto, quippe quae non tam ad rem ipsam quam ad litigantium iurgia et rixas pertineant.

Quae testimonia, quis est quin perpauca esse videat? quis non animadvertit omnia quae de actionibus et petitionibus enarrantur testibus carere? cui non movetur suspicio testimonia abesse, quia dari non potuerint, hominem nequissimum pleraque illa esse ementitum? Id vero certum videtur post Cononis mortem Callistratum cum Olympiodoro pactionem de bonis partiendis inisse¹⁾ eo consilio, ut ipsi ex iis quam maximum fructum caperent, priusquam heredes alii ingrederentur. Ea enim pactione orator vel maxime nititur, eam et ante diem iudicii describi voluerat, et tunc apud iudices legi²⁾ iubet invito adversario (§ 48 squ.) Quamobrem orator ne ea quidem quae pacta esse dicit finxisse existimandus est: ut bona aequae et iuste partirentur, ut coniunctim quaererent, si quid lateret, ut in posterum si quid opus esset consilio communi uterentur (§ 9).

Sed quo tandem iure Callistratus et Olympiodorus in Cononis bona iavaserunt? Nullo, quantum equidem perspicio, quamquam uterque se illius cognatum dicit. Cum enim Athenis sine magistratus auctoritate hereditatem adire nisi filio non liceret, contra ius et fas in illa bona irrupisse putandi sunt.³⁾ Atque orator, quo cognationis gradu vel ipse vel Olympiodorus Cononem attigerit, exponere omittit, id quod, etsi tum non de hereditate sed de pactione lis erat, tamen apud iudices heliastas aliquantum valere poterat. Nam quod se genere proximum fuisse iactat (§ 6), id nihili esse faciendum iam Libanius (p. 1165) vidit.

Neque ita multo post cum alii (§ 20⁴⁾ tum Callippus, Callistrati frater, in patriam

1) cf. Dareste, les plaidoyers civils de Demosthène II, 2.

2) Quod orator § 51 dicit: καὶ συγκλωσῶ, ὃ ἄ. δ. ἐν τῷ τούτου λόγῳ ἢ ἐν τῷ προτέρῳ ἢ ἐν τῷ ὑστέρῳ ἀνοιχθῆναι ita intellego, ut e re adversarii fuisse putem pactionem inter eius orationem legi, quod ei lectam statim interpretari et ad causam adhibere licebat. Quod superest, Rueger, prolegomena in Demosthenis quae fertur orationem adversus Olympiodorum Lipsiae 1885 p. 27 Uhleum (l. l. p. 18 squ.) qui tres pactiones inter litigantes esse factas sumpserat, vere redarguit.

3) cf. Hermann, antiqu. graecae II³, 1, p. 73 adn.

4) Eum locum Rüger (p. 18 squ.) neglexisse videtur, cum duas tantum litigantium partes extitisse vellet.

reversus apud magistratum hereditatem petiverunt, quare ipsi quoque Callistratus et Olympiodorus petitiones ad archontem deferre coguntur. Orator Olympiodorus ex asse, ipsum, quod ne frater quidem plus dimidio petivisset, ex semisse heredes extitisse fatetur et id quoque communi factum esse consilio dicit; quod vero adversarios sibi necopinantibus et imparatis supervenisse contendit, in fraude manifesta deprehenditur, quippe qui paullo ante metum dudum sibi obortum professus sit, ne heredes alii suis rebus adversarentur (§ 10). Petitionibus delatis cum nobile illud affinium par diei differendae causam quaereret, quo ipsi diutius bonorum usum fructum haberent, commodissime accidit, ut Athenienses expeditionem in Acarnaniam pararent, cui Olympiodorus interesse publice iussus est. Itaque cum iudicii dies venisset, Callistratus, quamquam ipse in petitorum numero erat, ne res diiudicaretur, iusiurandum interposuit Olympiodorus reipublicae iussu domo abesse (§ 25). Sed postquam adversarii statim illum non reipublicae causa sed sua sponte, ut litem differret, peregrinari iuraverunt, cum iudices adversariorum sententiam ratam fecissent, extincta Olympiodori petitione Callistratus, ne pactionem factam violaret, facere non potuit quin ipse quoque iure suo cederet. Quo facto magistratus hereditatem adversariis assignare legibus coactus est. Homo videlicet religiosissimus, quidquid bonorum Cononis possidebat, quamquam ipsi adversarii dimidiam hereditatem ad eum deferebant (§ 41), amittere quam fidem Olympiodoro datam laedere maluit. Hoc verum esse quamquam qui crederent inventi sunt, equidem mihi persuadere non possum, sed quoniam harum rerum nihil ab oratore testimoniis probatur, qui verum perspicere volet, quaerat oportet, quid facere Callistrato usui iuerit. Neque enim dubium est quin is, qualem ipse se orator praebuit, omnia ad suam utilitatem rettulerit.

Iam vero eiusmodi pactio, qualem inter homines affines factam legimus, si quid video, non facta est nisi in id temporis spatium, quoad res in iudicium veniret. Nam homines duos de possessione ambigua pacisci communique defendendi consilio uti audio: nego quemquam Graecum ita spondidisse, ut si iudicum sententiis ad se hereditas delata esset, bona cum altero se partituros promitteret. Quid? ea lex num inest in ea pactione, quam orator factam dicit? Verba haec sunt (§ 9): *καὶ πράξεν μετ' ἀλλήλων βουλευόμενοι ὅτι ἂν εἰς δέη*. Sed ista consilii communicatio eo mehercule die tolletur, quo alter cum altero in iudicii certamen descenderit. Quae cum ita sint, quis credat illam societatem diutius mansisse? At mansisse orator non solum dicit, sed reapse probat, utpote qui ipse pro Olympiodoro absente fidem interposuerit. Scilicet Callistratus, qui ipse hereditatem dimidiam petiverat, pro adversario iuravit! Qui cum dicit (§ 25) *ἐπωμοσάμεθα ἡμεῖς*, fatetur non se solum iurasse, quoniam per totam orationem singulari ipse se numero perhibet. Iam cum alii pro Olympiodoro intercessissent, quid opus erat Callistrato? Quamobrem illis oratoris verbis diffidendum puto; quamquam enim eius quoque interfuisse concedo, iudicii diem differri, quo diutius ipse quae possidebat retineret, tamen plaris certe faciebat petitionem Olympiodori, adversarii ut eventu cognitum est gravissimi, reici. Itaque Olympiodorus non iniuria illi crimini dare videtur, quod sibi continuo et verbis et factis adversatus sit. (§ 38). Quod id crimen ita purgare orator conatur, ut eum profecto non adversatum dicat, qui ne fidem laederet sua sponte hereditatis petitione cessisset, supra indicavi eam rationem fide carere. Primum enim nego Callistratum contra pactionem, qualem ipse (§ 9) exponit,

fuisse facturum, si in petitione perseverasset. Nam si inter eos convenerat ut uterque separatim lege ageret, quomodo pactum violat is, qui ius suum persequitur. Nimirum homini religiosissimo qualem se haberi vult, si vicisset, partem Olympiodoro dimidiam ultro tradere licebat! Propterea vero de iure suo cedere, quod illius petitio reiecta erat, mihi dementis, non religiosi videtur esse. Quid? si Olympiodorus praesens in iudicio certasset, quae poterat iis esse consiliorum communio, cum aut Callistrato et Callippo aut Olympiodoro aut tertiae cuidam parti bona adiudicanda essent? Sed Callistratus, qualem ex tota causa cognoscimus, non fuit ita pactionis religione obstrictus, ut fidei datae verecundia territus commodum suum praetermitteret. Neque testes, quos (§ 39) et aliarum et eius rei pollicetur, edidit. Quae cum ita sint, a vero non aberrare mihi videor, cum oratorem ea quoque de re turpissime mentitum dico. Equidem Callistratum, postquam petitionem defendit, in iudicio cecidisse existimo.

At nihil in oratione de iudicium sententia invenitur (§ 26: *διαγραφείσης δὲ ταύτης ἐξ ἀνάγκης καὶ μοὶ ἦν ἐκλιπεῖν τὴν τοῦ ἡμικληρίου ἀμφισβήτησιν. γενομένων δὲ τοῦτων ἐπεδίκασεν ὁ ἄρχων τοῖς ἀντιδίκοις τοῖς ἡμετέροις τὸν κληρὸν τὸν Κόνωνος. ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι αὐτὸν ἡνάγκαζον ποιεῖν*). Magistratus nullo iudicio facto hereditatem adversariis attribuisse narratur. At iterum orator mentitur, siquidem vere supra mendacii coargui! Nam iudicio certe opus fuit, quoniam complures alii bona petivisse dicuntur § 20: *καὶ ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ ἔτεροὶ ἄνθρωποι ἔλαχον τοῦ κληρὸν τοῦ Κόνωνος, καὶ ὁ Κάλλιππος ἐπεδήμησεν ἐκ τῆς ἀποδημίας, ὁ ἐμὸς ἀδελφὸς δημοπάτριος, καὶ οὗτος ἔλαχεν εὐθὺς τοῦ ἡμικληρίου*. § 23: *διὰ τὸ ἐξαίφνης ἐπιπεπωκέναι ἡμῖν πολλοὺς τοῖς ἀμφισβητοῦσιν*. An Callippum fratrem ipsum quoque ex pacto petitione destituisse putemus? Vides hominem mendacem suis ipsum plagis teneri! Neque in occulto est, cur mentitus sit. Nam si ipse confessus esset eadem lite hereditaria se victum esse, qua postea Olympiodorus vicisset, quomodo iudicibus persuadere potuit Olympiodoro bona secum esse partienda? Ac si quis fieri non facile potuisset existimet ut quisquam de rebus tam apertis iudices decipere conaretur, is videat quaeso orationem in Zenothemin scriptam (or. XXXII). In qua, cum in Hermae vol. XXIII, p. 202 squ. disputarem, fraudes vel iniquiores invenisse mihi videbar.

Non iniuria mireris Olympiodori excusationem, si quidem miles in Acarnaniam profectus erat, a iudicibus improbatam esse. Et fuit qui suspicaretur eum „expeditioni illi omnino non interfuisse, sed Athenis morantem consulto cessasse et expeditionem illam dumtaxat praetendisse.“¹⁾ Sed nescio num quis Athenis per aliquot menses latere seque ad bellum exisse simulare potuerit. Olympiodorum quidem, cuius interesset ex Cononis bonis quae invaserat fructum quam maximum capere, non negaverim ut dies iudicii differretur operam dedisse. Sed quod postea accidit, ut reiecta intercessione Cononis bona a iudicibus heredibus aliis attribuerentur, id sine dubio Olympiodoro, quia detrimento gravissimo erat, si fieri ullo modo poterat, cavendum fuit. Atqui quoniam reversus iudicio vicit, sequitur nisi fallor eum si non optimo at certe aliquo iure Cononis hereditatem petivisse. Quid? qui bona ilico ad se perventura speraret, eum tu putas fraude turpissima usurum fuisse ut dubio eventu de intercessione periclitaretur? Deinde si usus esset, adver-

1) Rüger p. 16.

sarium, qualem Callistratum cognovimus, tu credis praetermissurum fuisse irridendi et calumniandi occasionem? Quare mihi persuasum est Olympiodorum Acarnaniae bello intertuisse et adversariorum praesentium machinationibus factum esse, ut absentis intercessio repelleretur.

Qui postquam domum revertit, cum iniuriam illatam moleste ferret, iterum cum Callistrato consilio communicato heredes, quibus Cononis bona obvenerant, in ius vocat (§ 28 squ.) Convenit inter eos, ut non una sed seorsum certarent. Atque ipse hereditatem totam, Callistratus ut antea partem dimidiam petit, „quod Callippus frater non amplius dimidio poscebat sive poposcerat“ (ἐπειδὴ καὶ Κάλλιππος ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς τοῦ ἡμικληρίου μόνον ἡμισηβήτει). Quid hoc sibi vult? Utrum Callippum fratrem ipsum quoque denuo certasse dicit an propterea se tunc partem dimidiam petivisse, quod ante frater dimidium sibi vindicaverat? Sed quia de repetita fratris actione nihil legimus, rectius certe ea ratione usus esset, quod ipse ne priore quidem certamine plus dimidio postulavisset. Deinde quaeritur, utrum Callistratus et Olympiodorus eodem tempore an deinceps alter post alterum hereditatem petiverint. Sic enim qui primum leget eius verba intelletget haecce: (§ 29) καὶ ἐδόκει ἡμῖν βουλευομένοις . . . ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἀσφαλές τι εἶναι μὴ ἐν τῷ αὐτῷ ἡμῶς ἀμφοτέρους τὸν κίνδυνον ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς ἀμφισβητοῦντας ἀλλὰ χωρὶς ἑκάτερον. Quae vero § 31 inveniuntur: καὶ τὰς ἀμφισβητήσεις ἀντεγραψάμεθα, ὃν τρόπον τοῦτ' ἐδόκει Ὀλυμπιόδωρ, καὶ μετὰ ταῦθ' ὁ ἄρχων ἀνέκρινε πᾶσιν ἡμῖν τοῖς ἀμφισβητοῦσι καὶ ἀνακρίνας εἰσήγαγεν εἰς τὸ δικαστήριον docent eos eodem tempore ad iudicium descendisse. Quod si est, vide quam inane sit, quod orator se in iudicio Olympiodoro nihil esse adversatum praedicat (31: *Κἀγὼ, ὦ ἄδ., σιωπῇ ἑκαθήμην ἐπὶ τοῦ ἑτέρου βήματος* et 44 *κἀγὼ οὐδ' ὅτι οὐκ ἀντέλεγον τοῦτοις οὐδ' ἤκουσέ μιν φωνὴν οὐδέ τις ἀνθρώπων οἷε οὗτος ἡγωνίξει οὔτε μικρὰν οὔτε μεγάλην ἀλλὰ προσωμολόγουν ἀληθῆ εἶναι πάνθ' ὅσα οὗτος ἐβούλετο λέγειν. Quid? Tacensne homo impudentissimus petitionem hereditatis defendisse aut iterum Olympiodori gratia actione destituisse putandus est? Immo si ipse bona petivit, dubium non est quin apud iudices verba fecerit, quin Olympiodoro adversatus sit, quin aperte mentiatur, cum dicat: (§ 44) *κοινῇ γὰρ ἡγωνιζόμεν μετὰ σοῦ, ὥσπερ ἔδοξεν ἐμοὶ καὶ σοί.* Sed mehercle et aliis ante¹⁾ et mihi dubitatio exorta est, utrum revera Callistratus iterum de hereditate certaverit necne. Nescio an quae de lite priore ei cum Olympiodoro conveniant vel non conveniant falso ad actionem alteram rettulerit. Ac si supra recte disputavi Callistratum causa priore cecidisse potius quam cessisse, non iam ei licuisse per leges Atticas putabimus eandem Cononis hereditatem denuo petere²⁾. Cuius rei argumentum non leve mihi videtur esse, quod ne earum quidem rerum ullum testimonium editur.*

Hoc addo, quod apud interpretem nullum invenio, mendacia de domus locatione et pecuniae mutatione, quae orator (§ 44 squ.) exprobat, ab Olympiodoro excogitata videri, ut adversarios redargueret, qui totam certe ad illum hereditatem pertinere negaverant, quod ipse post Cononis mortem bona cum Callistrato partitus esset. Hoc enim eum facturum non fuisse, qui ex asse heredem se esse profiteretur. Quam argumentationem ut

1) Dareste l. l. II, 2.

2) Meier-Schoemann-Lipsius de lite att. p. 612, adn. 350.

defenderet, Olympiodorus dissimulasse videtur bonorum partitionem. Iam quid fuerit, cur Callistratus ea mendacia tacitus ferret, is frustra quaeret, qui ipsum quoque denuo hereditatem petivisse existimaverit. Nam si ipse petitor extitisset, summo opere Olympiodorum confutare, testes editos convincere oportuit, quippe cuius iura vel maxime in dubium vocarentur, si quis Olympiodorum post Cononis mortem bonis omnibus potitum, ipsum concessisse probabat. Et mehercle concessisse putandus est, qui domum conduxit, qui pecunias ab Olympiodoro mutuas sumpsit. Verum si Callistrato in iudicio victo ipsi petere non iam licebat, facile intellegitur, cur Olympiodori vel mendacia adiuverit, qui ab eo si superasset aliquantum impetraturus sibi videretur.

Iam vero viri docti dubii haerent, qua via usus Olympiodorus adversarios in ius vocaverit. Quae tres patebant: *δίκη ψευδομαρτυριῶν, τὴν ἔρημον ἀνυλαχεῖν, πρόσκλησις τῶν ἐπιδικασμένων.*¹⁾ Singula exponere omitto, quia omnis dubitatio inanis esse mihi videtur. Nam sive adversariorum testes quis condemnasset sive rem in contumaciam iudicatam resciderat, petitione iterata in causis hereditariis certe utique opus fuisse videtur²⁾ (*πρόσκλησις*). Quamobrem dubium non est quin Olympiodorus hac actione usus sit, illud quaeritur, num aut *ψευδομαρτυριῶν δίκη* aut *ἀνυληΐξει* quae dicitur via aperienda fuerit. Qua de re cum orator taceat, certi nihil dici poterit, quamquam eum, cuius *ὑπόμωσία* in iudicio cecidisset, vix credideris in hereditatem ipsam ilico litem intendere potuisse.³⁾

Restat ut de pecunia quadam commemorem, quae oratori maxime curae videtur esse, cuius saepissime mentionem facit (§ 19, 20, 34, 35, 37). Erat enim inter servos, qui Olympiodoro obvenerant ex Cononis hereditate, Moschion quidam, qui Cononis senis fiducia abusus aliquantum pecuniae surripuerat. Ac primum quidem drachmae mille, deinde minae septuaginta apud eum inventae sunt. Illarum Olympiodorus ex pacto partem dimidium Callistrato tradiderat, has, cum idem facere identidem admonitus moratus esset, ita retinuit, ut ne adversariis quidem traderentur, cum Olympiodoro absente Cononis bonis potirentur. Nunc vero Callistratus, cuius oratio plurimum circa eas versatur, dicere videtur si non hereditatis at certe earum minarum septuaginta dimidium ad se pertinere. Quod qua specie sibi vindicet si quaeris, alii alia excogitaverunt, mihi hoc visum est. Supra dixi pactionem initam esse in id tempus, quoad res iudicum sententia discerneretur. Eo tempore se et una quaesituros si quid bonorum lateret et consiliis communibus usuros pacti erant. Iam quoniam pecunia illa reperta est, antequam res ad iudices perveniret, ea de causa ex pactione dimidium poscit, praesertim cum Olympiodorus eam pecuniam ne re iudicata quidem adversariis solverit. Id enim lucri maxime fecisse videntur, qui statim post mortem possessoris in bona invaserant, ut quidquid numerati adesset arriperent atque in suum usum converterent. Nam cum res fere sero diiudicaretur, difficillimum erat demonstrare, quanta pecunia domi fuisset, quantum et a quo surreptum esset. Sic ne ex drachmis sescentis quidem, quas antea Moschione servo extorserant (§ 17), quidquam aut Callistratus aut Olympiodorus reddidisse putandus est. Callistratus certe si reddidisset, quanta usus

1) Cf. Meier-Schoemann-Lipsius p. 612, Rüger p. 19 squ.

2) Cf. Meier-Schoemann-Lipsius p. 973 squ.

3) Quam rationem Rüger p. 23 squ. tuetur.

esset aequitate, praedicare non neglexisset (§ 27). Atque quamquam nunc Olympiodorus, siquidem hereditas integra ei adiudicata est, illas minas septuaginta iure suo possidet¹⁾, tamen cum olim iniuria arripisset, Callistratus qui tunc sceleris socius fuerat, nunc pretium sibi vindicare audet. Habes hominem impudentissimum et dignum contumeliis, quas omnes huc usque interpretes in eum iecerunt.

II.

Mantias, Mantithei filius, Thoricius, qui dicendi facultate apud populum Atheniensium valebat, uxorem duxerat Polyarati viri et nobilissimi et ditissimi filiam, quam ante eum Cleomedon Cleonis filius in matrimonio habuerat. Ex qua Mantiae filii duo nati erant, quorum alter puer mortuus est, alter utrique parenti superstes fuit; mater enim non ita multo post diem supremum obiit (XL, 27). Sed cum filius, cui Mantitheo nomen erat, fere adolevisset, adolescens quidam extitit, matre Plangone quadam genitus, qui cum ipse se Mantiae filium esse contenderet, a Mantia petivit, ut sibi filii legitimi iura tribueret. Atque cum Mantias recusavisset, lege in patrem quem dicebat egit, quae causa ut erat privata a magistratu arbitro publico dirimenda tradita est. Mantias autem veritus, ne quis adversariorum, quos multos in republica habebat, ea ulciscendi occasione uteretur, Plangone ipsa reconciliata causam facile sublatum iri ratus, triginta minis promissis effecit, ut illa fide gravissima interposita polliceretur se apud arbitrum testimonium recusaturam. Neque vero promisso stetit, sed ubi primum iniurandum ad eam delatum est, non solum illum sed etiam filium alterum Pamphilum nomine Mantiae patris esse iuravit. Quo facto Mantias et litem perdidit neque, quoniam ipse iusiurandum mulieri reddiderat, ad iudices provocare licebat. Itaque Apaturiis proximis filios Plangonis in phratorum conventum deductos tabulis inscripsit maiorem Boeoto, minorem Pamphilo nominibus. Atque eos filiorum legitimorum iura adeptos esse inde efficitur, quod Mantia mortuo una cum Mantitheo bonorum paternorum heredes fiunt (XXXIX, 35; XL, 13).

Quaeritur, quae ratio inter Mantiam et Plangonem intercesserit, quid fuerit cur Mantias Plangonis filios in phratorum album inscribere cogere, qua de re multa varie viri docti disputaverunt, sed ita plerique, ut rem in medio relinquendam putarent. Atque primum quidem Mantitheus, qui negat Boeotum et Pamphilum Mantiae filios esse (XL, 9, 10, 47), ipse se mendacii convincit, cum aliis locis patrem Plangone usam esse concedit (XL, 8, 9, 27). Neque vero humili loco natam Plangonem existimabit, qui animadverterit (XL, 20, 31) dotem ei tribui centum minarum. Nam etiamsi filii eam dotem ementiti sint, tamen de quavis muliere de plebe ne mendacia quidem eiusmodi confinguntur. Accedit, quod Pamphilus, Plangonis pater, cum moreretur, quinque talenta reipublicae debuisse narratur (XL, 22). Atque tantae pecuniae debitor fortuna aliquando non mediocri ornatus fuisse censendus est. Quid, quod Boeotus Plangonis filius (XL, 39) Cononi Timothei filio viro amplissimo controversiarum arbitrium permissurus est! Quare non iniuria (XXXIX, 32) iactare videtur matris cognatos non inferiores esse Mantiae propinquis.

1) hoc minus recte Rüger 34.

Iam vero quemquam Atheniensem tali re familiari praeditum filiam ad condicionem inhonestam abiecisse persuadere mihi non possum. Atque Plangonem Mantiae a patre sponsam (*ἐγγυητήν*) esse Buermannus¹⁾ ex eo recte effecisse mihi videtur, quod Mantias cum filios ad phratores deduxisset, ius iurandum dare debebat: *ἢ μὴν ἐξ ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς γυναικὸς εἰσάγειν* (Isaeus VIII, 19). Quid? ne adversarius ipse quidem eam rem negare audeat! Audi quaeso hunc locum (XL, 26): *χωρὶς δὲ τούτων ἐνθουμήθητε διὰ τί ἄν ποτε ὁ πατήρ, εἴπερ ἢ μὲν ἐμῆ μήτηρ μὴ ἦν ἐγγυητὴ μηδ' ἠνέγκαιο προῦκα, ἢ δὲ τούτων ἠνέγκαιο, τούτους μὲν οὐκ ἔφη αὐτοῦ νότις εἶναι ἐμὲ δὲ καὶ ἐποιεῖτο καὶ ἐπαίδευεν;* Mantitheus negat dotem a Plangone patri allatam esse; qui si Plangonis sponsalia in dubitationem vocare potuisset, verba *ἢ δὲ τούτων [ἐγγυητῆ ἦν] καὶ ἠνέγκαιο* addere non neglexisset. Deinde si Plango non a patre sponsa esset, quomodo filius vel ementiri potuit matrem talento dotatam esse? Et quoniam non dubium est, quin virgo Atheniensis tali dote praedita nulla aliam cum viro vitae communionem inierit nisi matrimonium iustum, Boeotus certe Plangonem matrem iustis nuptiis cum Mantia coniunctam dicit.

Deinde Boeotus Plangonis filius se Mantitheo maiorem natu esse vere affirmat (XXXIX, 27). Is enim, cum dicit *ὄ μὴν ἰσχυρίζομαι τούτῳ*, concedit et alio loco (XL, 27) Mantiam narrat, et antequam matrem suam duxisset et postquam illa obisset, in Plangonis familiaritatem intrasse. Quare suspiceris Mantiam primum Plangonem Pamphili filiam uxorem habuisse, dein divortio facto Polyarati filiam duxisse.²⁾ Cuius divortii quod in orationibus quas legimus mentio nulla fit³⁾, non mirum est, siquidem matrimonii dissoluti memoria oratori vel maxime fugienda erat. Mireris Mantiam post mortem uxoris alterius ad Plangonem redisse, magis etiam mireris a muliere repudiata admissum esse, quamquam et illud non raro fieri neque hoc exemplis carere videmus. At cur Mantias, si Boeotus et Pamphilus ex uxore legitima nati erant, filios in phratorum societatem introducere noluit?⁴⁾ At eius quoque rei causa cogitari potest, quam inveniemus, si ad rem aliam aggrediemur, de qua ambigitur, utrum dotem Plangonis Mantias accepisse putandus sit necne.

Scimus enim saepenumero dotem genero non traditam esse, sed a socero retentam usuras peperisse⁵⁾. Atque post mortem Mantiae Boeotus cum a Mantitheo postulavisset, ut sibi et fratri talentum ex hereditate paterna dotis maternae nomine solveretur (XL, 31), ab arbitro publico repulsus ad indices provocare noluit (XL, 17, 19, 30 squ. 42, 55). Haec saepissime ab oratore summa cum fiducia repetuntur et testimoniis confirmantur, ut non facile eum mentitum esse existimes. Quin etiam adversarius cum dicit Mantiam bonis Pamphili publicatis ex aerario publico plus centum minas dotis loco accepisse (XL, 20), ipse dotem maternam Mantiae non esse solutam fatetur, antequam Pamphili bona publica fierent. Neque quod Boeotus postea ex aerario Mantiam pecuniam magnam rettulisse contendit, veri speciem prae se fert. Putes igitur Plangoni a patre, cum Mantiae nuberet, dotem amplam esse constitutam, Mantiam vero ea spe propter Pamphili calamitatem esse fraudatum.

1) Jahn. ann. suppl. IX, p. 570 squ.

2) A. Schaefter, Demosthenes III B, p. 219, Zimmermann de nothorum Athenis condicione p. 15.

3) Buermann l. l. p. 577.

4) v. d. Es, de iure familiarum p. 107.

5) Hermann, antiqu. graecae II¹ 1, p. 67 adn.

Restat alius locus, de quo adversarii ambigunt, num Mantias Boeoti filii *δεξάτην* celebraverit, quam rem Boeotus testimoniis duobus confirmaverat (XL, 20). Mantitheus (XXXIX, 22 squ.) impugnat, tribus rationibus nisus, primum neminem fuisse diem festum acturum filii, quem non suum arbitraretur, deinde neminem, qui *δεξάτην* celebravisset, postea dissimulaturum fuisse, denique Boeotum, si eo die a Mantia agnitus esset, non in matris tribu Hippothontide sed patris Acamantide puerorum choris fuisse adfuturum. Quam argumentationem quis non videt infirmam esse? Nam quis neget fieri potuisse, ut quis divortio facto una cum uxore puerum quoque infantem repudiaret? Quod si factum erat, Boeoto, cum ad phratores a patre non esset introductus, cum patris tribulibus choros agere sine dubio non licuit. Minoris etiam momenti esse ea videntur, quae Mantitheus in oratione altera § 28 et § 59 profert, ubi testium paucitatem irridet alterumque eorum Timocratem Boeoti fere aequalem esse dicit. Quae cum ita sint, mihi persuasum est Mantitheum iniuria Boeoti *δεξάτην* actam denegare.

Mantias igitur Mantithei filius Plangonem Pamphili filiam et familia ampla honestaque ortam et corporis forma egregiam (XL,27) in matrimonium duxit, ex qua filius nascitur, cui pater die decimo nomen avitum *Mantitheum* indit. Sed priusquam is in phratorum conventum deductus tabulis inscriberetur, Pamphilus socer calamitate gravissima obruitur qua re Mantias non solum omni dotis constitatae spe fallitur, sed etiam, quod suspiceris, metuit, ne auctoritas, quam apud populum habebat, aut frangatur aut certe aliquantum imminuatur. Quamobrem homo divitiarum magis et potentiae studiosus quam fidei memor divortio facto coniugem cum puero infanti domo pellit, paullo post uxorem ducit Polyarati filiam aetate iam propectam, quam Cleophon ante in matrimonio habuerat, gente et ditissima et amplissima natam. Filio quem gignit ipsi quoque *Mantitheo* nomen dat. Atque Mantias, posteaquam Plangonis filium ad phratores introducere coactus est, ne duo Mantithei Mantiae filii Thoricii essent, huic Boeoto nomen tribuit. Sed is cum patre mortuo ipse se demotiarum tabulis inscriberet, sibi magis quam fratri minori honorem avitum deberi ratus, non Boeotum, ut pater voluerat, sed pristino nomine *Mantitheum* se praebet (XXXIX 5, XL, 34). Inde cum de nomine lis orta esset, Mantitheus minor, qui soli sibi nomen avitum vindicabat, quamquam Demosthenes ei orationem scripserat, causa cecidit.*) Quae iudicium sententia argumento est Boeotum Plangonis filium non sine aliquo iure *Mantitheum* nomen sibi adrogavisse. Iam cum uxor altera diem supremum obisset, in Mantia Plangonis amor renatus est, eaque quamquam iniuriam gravissimam acceperat, paupertate vel etiam victus inopia coartata nescio quomodo ab animo impetravit, ut cum illo in gratiam rediret. Neque tamen Mantias Plangonem in domum suam reducere aut eius filiis iura legitima attribuere voluit, (XL,9) veritus fortasse Polyarati filios. Certe Plango Mantiae fortunis sublevata in omnium rerum abundantia vixisse narratur (XL,51).

Quod superest moneo A. Schaeferum summum virum errasse, cum or. XL § 36 hunc in modum expresserit: Mit Kriegsfahrten hatte Mantitheos sich auch auf eigene Hand abgegeben: wir erfahren, dass sein Stiefbruder ihm vorwarf, er habe in Gemeinschaft mit Ameinias, einem Feinde der Athener, Soldner erworben und diese zu Gunsten des Kammes,

*) XL, 18. Boeckh, tit. naval. Xd 4 squ. p. 38.

des gegenwärtigen Machthabers von Mitylene, verwendet.*) Immo Mantitheus ipse se in bello cum Aminia milites conduxisse, pecunias cum aliunde tum Mytilenis collectas militibus distribuisse fatetur, ut aliquid pro Atheniensibus gereretur; adversarium vero, ut Cammae Mytilenarum tyranni gratiam sibi conciliaret, de ea pecunia, quod a civitate Mytilenaea privatim Mantitheo data esset aeris Mantiae patri publice debiti solutio, tunc litem sibi intendis. Mantitheus igitur eam pecuniam dicit se a privatis reipublicae causa acceptam in publicum usum contulisse, Boeotus eum pecuniam publice patri debitam a Mytilenaeis exegisse vult. Qui quomodo Cammae tyranno obsecutus sit, cum talia iactaret, non assequor; neque enim video quid Cammae interfuerit, utrum ea pecunia Mantitheo Atheniensium nomine a privatis an a civitate Mytilenaea privatim soluta esset. Oratorem igitur tyranni nomine, quod Atheniensibus in odio erat, abusum esse crediderim, ut adversarium calumniaretur.

Neque vero cum Schaefero existimem Mantitheum proprio Marte cum Aminia milites et pecuniam collegisse, sed oratoris verba *οὐ ἐγὼ στρατιεὸς μὲν οὐ καὶ μετὰ Ἀμινίου ξενολογῆσας ἄλλοθεν τε χρήματα εὐπορίας καὶ ἐκ Μυτιλήνης . . . ἀνήλωσαι εἰς τοὺς στρατιώτας* docere videntur Mantitheum reipublicae mandato eas res gessisse. Et quod pecunia non a civitate Mytilenaea sed a privatis suppeditata dicitur, Mytilenis respublica libera iam eversa videtur, id quod paullo ante annum 351 factum esse accepimus.***) Quare quoniam iam anno 347 ibi imperium popolare restitutum scimus, Mantitheum eam rem gessisse putes inter annos 351 et 349. Verum eodem fere tempore legimus eum taxiarchum ad bellum Euboicum esse profectum (XXXIX, 16): *γράφει, εἰ δὲ δίκην ἀστραιείας φεύγοι, χορεύοι δὲ ὅταν στρατεύσθαι δέη; καὶ γὰρ νῦν, ὅτε εἰς Ταμύνας παρήλθον οἱ ἄλλοι, ἐνθάδε τοὺς χάος ἄγων ἀπελείφθη καὶ τοῖς Λιονυσίοις καταμείνας ἐχώρευεν, ὡς ἅπαντες ἐωρᾶτε οἱ ἐπιδημοῦντες. ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν στρατιωτῶν λιποταξίον προσεκλήθη, καὶ γὰρ ταξιαρχῶν τῆς φυλῆς ἠναγκαζόμεν κατὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ ἑμαντοῦ πατρόθεν δέχεσθαι τὴν λῆξιν.* Sic certe volunt interpretes; locum integrum adscripsi, quod haec verba non esse eius qui ei bello interfuerit persuasum habeo. Quid? qui ipse taxiarchus apud Tamynas tribulibus praefuerit, eum tu existimas dicere: *ὅτε εἰς Ταμύνας παρήλθον οἱ ἄλλοι* et *ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν στρατιωτῶν*? Ego, quoniam eos qui bellis interfuerunt gloriari potius de rebus suis quam tacere scio, Mantitheum suspicor, cum taxiarchus creatus esset, non cum exercitu in Euboeam exisse sed cum Aminia in insulas missum esse, qui milites et pecunias cogeret.

III.

Theocrines Atheniensis, qui et accusationibus et delationibus quaestum faciebat, Epicharis cuiusdam patrem *παρὰ νόμον* accusatum decem talentis multaverat, quae pecunia, cum in tempore soluta non esset, duplicata reum omni salutis spe deiecerat. Itaque ut adversarium victorem ulcisceretur, quoniam ipsi in iudicio agere non iam licebat, filium adulescentulum hortatus est, ut Theocrinem peteret. Verum neque poena levis tanto dolori

*) A. Schaefer, Demosthenes III B p. 223.

**) A. Schaefer, Demosthenes I² p. 480, III B p. 224.

satisfacere videbatur, neque homo versutus accusandi facile locum praebebat. Tandem quaerentibus occasio haec oblata est. Theocrines Miconem mercatorem per *γάσιν* in ius vocaverat, quod leges emporii violasset, sed cum causae cognoscendae dies venisset, actione destiterat, cui rei mille drachmarum poena legibus constituta erat. Neque vero magistratus, qui quaestioni praeerant, eam multam ad aerarii quaestores detulerant et Theocrines novas interim accusationes instituebat. Qua re Epichares utitur: Theocrinem aerarii debitorem iura vetita sibi adrogasse, quod alios in ius vocasset, id quod poena gravissima legibus interdictum esset. Quodsi Theocrines se esse debitorem publicum negaret, ut qui quaestorum tabulis non esset inscriptus, id nihili esse, legem enim disertis verbis praescribere: *ὀφείλειν ἄπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας, ἀφ' ἧς ἂν ὄγλη ἢ παραβῆ τὸν νόμον ἢ τὸ ψήγισμα.* Itaque Theocrinem ex eo die pecuniam aerario debere, quo Miconis causam dereliquisset, neque ei alios reos facere licuisse.

Haec est summa orationis in Theocrinem scriptae (LVIII), omnesque qui de ea egerunt causam ratione iusta niti censuere; imprimis Boeckh Oec. civ. I², 509 legem quam supra laudavi optime explicavit ita, ut si aut de delicto non constaret aut poena non esset definita, iudicium sententiam opus fuisse, sin autem neque de delicto neque de poenae magnitudine dubitatio esset, eum qui commisisset ipso delicto debitorem aerarii fieri doceret. Quam doctrinam nuper P. Trenkel in dubium vocavit (Jahn. ann. 137, 473 squ.), cum discrimen illud delictorum, ut aut dubia aut certa essent, a legibus Atticis abhorreere diceret. Oratorem vero pravis artibus usum legis verba male interpretatum esse, quae longe aliud praescriberent.

